



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCLI. ad annum CCCCLXXV.

**Parisiis, 1644**

XXXI. Epistola Theotimi Episcopi Scythiæ Ad Leonem Imperatorem.  
Domino piissimo, & Christianissimo imperatori nostro Leoni, Theotimus  
humilis Scythiæ regionis episcopus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14887**

ANNO  
 CHRISTI  
 451.

plectere iudicium, serenissime orthodoxe imperator. Taliter namque sapuisse comperimus omnes qui verbo & doctrina, & vita mirabili, Deo per diuersa tempora placuerunt; id est, beatum Athanasium, qui sapius propriis fanciuit dogmatibus, quia erat in corpore passibili impassibilis, & in mortali immortalis. Sic & Basilius magnus, & Gregorius Nazianzenus, & alter Gregorius Nyssæ, & post Ioannes Constantinopolitanus, verborum simul & cogitationum pelagus benedictum. Scito siquidem nefandum Timotheum, & eos qui similia cum immensa tyrannide sapuerunt ac sapiunt, alienos a nobis factos ab orthodoxorum episcopatu. Bene autem & digne tuorum temporum, imperator egregie, si preces ab Ægyptiaco Concilio tibi datas rationabiles existentes, & omni approbatione dignas, tamquam orthodoxas suscipias, & alia cuncta tamquam satanæ opera, & cogitationes animas corrumpentes effugas, solumque vobis sufficiat Calchedonense Concilium, cum solum omnia orthodoxorum antiqua Concilia in semetipso Spiritus sancti virtute constringat. Incolume semper consistens atque crescens vestrum imperium Dominus orbi terrarum longis dignetur seruare temporibus, imperator sacratissime.

XXXI.

EPISTOLA THEOTIMI EPISCOPI  
 SCYTHIÆ AD LEONEM IMPERATOREM.

*Domino piissimo, & Christianissimo imperatori nostro Leoni, Theotimus humilis Scythiæ regionis episcopus.*

**D**ECET tuam pietatem, venerabilis imperator Auguste, ecclesiarum tranquillitate gaudere, & tribulationes populi conturbati & tempestates tranquillissimis vestris allocutionibus ad pacis iura transferre. Propterea siquidem vos Deus cælitus diuino nutu suo muniuit, vt ea quæ sana sunt, imperiali potestate integra semper saluaque custodiatis; quæ vero vexata sunt atque corrupta, vestræ pietatis medicina curetis. Nihil itaque Deo amabilius est, nihil acceptius, quam vt illa vos sapiatis, quæ a Dei Patris sapientia didicistis; & illa doceatis, quæ ab ipsis fidei vestræ incunabulis saluberrime estis eruditi. Et

*Concil. Tom. 9.*

Pp

quoniam sacratissimis vestris syllabis admonuistis, ut quæ sapimus de sancto Calchedonensi Concilio, nostris literis referamus ad vestra notitiam pietatis; cognoscat vestra serenitas, quoniam nihil amplius, nihil minus, quam quæ in Calchedonensi Concilio a sanctis patribus integre atque perfecte definita sunt, credimus, aut consentimus. Neque enim aliud nos ultra sapere, quam ea quæ tantorum patrû termino sanctus Spiritus erudiuit. Vnde mansuetissime imperator, & ego, & omnis ecclesia Dei sic sapimus, & in consensu nostro sanctorum patrum definitiones fide & deuota confessione firmamus. De Timotheo vero sic sapimus: quoniam secundum virtutem precum, adhuc viuo existente episcopo, impudenti intentione ab excommunicatis est ordinatus, exordinatum & excõmunicatum ecclesiastica regula eum esse decernit: neque manus impositionem illorum episcoporum in sancta ecclesia permittit quamdam habere virtutem, qui Christi fidem violantes, ordinationem impositam sibi met amiserunt. Nunc igitur nostræ confessionis verbû facientes saluberrimis vestris auribus manifestum, deposcimus Dominum nostrum Iesum Christû, ut vestrum imperium catholice fidei robore confortatum, & crucis virtute munitum, ab omni suspectione bellorum intactum semper custodire dignetur. Optamus vestram tranquillitatẽ diuina providentia semper incolumem, & coronam imperii vestri intemeratam & impollutam multis annis nobis diuinitas donare dignetur, domine sacratissime & venerabilis imperator.

## XXXII.

EPISTOLA EPISCOPORVM MOESIÆ  
SECUNDÆ AD LEONEM IMPERATOREM.

*Domino piissimo, victori, semper Augusto Leoni, Marcianus, Marcialis, Monophilus, Marcellus, Petrus & Dittas episcopi secundæ Mæsiæ.*

**T**RANQVILLISSIME principum, desiderium habens pii propositi, verbum fidei quam tenes, tibi fieri manifestum, sacris literis hoc a nostra humilitate fieri præcepstis, ut vobis aperte significaret de sancta & incomprehensibili deitate, quam humana lingua nec comprehendere,